

## VIII. Probl. Sphericum.

An Sphæricus doctor oculorum iudicium,  
dum stellis motum inesse dicunt, pro infallibili  
habere possit aut debeat?

Resp. Quàm certum est dari motum (innotescit enim is ex  
mutato situ stellarum ad oculum, respectu plani Horiz. immobi-  
lem) tam incertum est, per visum quidem, utri revera insit motus  
ille, an visibili, id est, stellis, an verò visui, an etiam utriq; simul.  
Nam tot modis motus hic contingere posset.

Sunt autem sex causa, quomobrem oculi decipi possint circa  
motum stellarum.

1. Quia motus non est obiectum proprium visus.
2. Quia est nimia distantia inter visibile & visum.
3. Quia in hoc tanto intervallo non interjacet aliquid  
fixum & immotum, ad quod motus, ut par erat, examinari  
possit.

4. Quia oculus absq; demonstratione sufficiente pre-  
supponitur quiescere in loco observationis sua, quod non debebat  
fieri. Inde enim fit, ut, licet terram revera moveri omninò notum  
esset (nedum si incognitum sit), visus suum motum tribuat visi-  
bilibus: non secus atq; cæteris accidit sensibus, sua, quibus labo-  
rant, vitia obiectis impurantibus per errorem.

5. Quia ut maximè homo gnarus sit sui motus; tamen  
cum stella propter parvitatem directè, terra autem propter im-  
mensitatem indirectè incurrat in oculos, illa potius, quàm hæc  
moveri videbuntur.

6. Quia Horizon eundem semper situm tuetur versus ocu-  
lum & lineam verticalem. Quantumvis igitur motus terra ex-  
tra omnem dubitationis aleam positus esset: oculorum tamen  
iudicio nihil certius erit motu stellarum. Vide Kepl, in epit. p. 130.